

Umbrarum formas, vana & simulacra sequentes,
 Nescio qua fœde ludimur a specie.
 Æumnæ si quid forte incidit, aut Pater ille,
 Ille Pater, rerum quo sine nil geritur,
 Et nec ovis prato in florenti, nec cadit unus
 Passer, dimidio veneat asse licet,
 Æumnæ ciet omnipotens de vertice Olympi,
 Atque jubet nostræ tecta subire domus,
 Porrigere & tristi implicitis bona pharmaca morbo,
 Pharmaca quæ patria miscuit ipse manu,
 Contrahimusque animum, visuque horrescimus ipso,
 Pallor & in mœsto plurimus ore sedet;
 Nec molles gemitus, & languiduli singultus,
 Nec tristes cessant currere lacrimulæ.
 Ut puerorum ætas, quæ vult sibi dulcia tantum,
 Nigrantem absinthii vidit ubi laticem
 Præberi, avertitque oculos, manibusque repugnat,
 Et sese matris rejicit in gremium
 Singultans: morbum nec vult deponere; folam
 Sed longe a labris pellere amaritiem.
 Huic similem quisquam se vir velit esse puello,
 Et calicem, ætherius quem dedit ille Pater,
 Respuat, avertat vel labrum? Non ego certe,
 Non ego, sed forti pectore quidquid erit,
 Sit licet his majus multo, graviusque ferendum,
 Quidquid erit, forti pectore perpetiar;
 Nec tibi, summe Pater, spatium, legemve medendi
 Conabor stultus dicere, & insipiens,
 Ignarus quid mi profit. Tu profore quidquid
 Nosti, fac, genitor: quæ facis ipse placent
 Omnia, nec pænæ, luctus, opprobria terrent
 Ulla; placent patria vulnera facta manu.
 Ure, seca qua vis; nec ferro parce, nec igni;
 Ut lubet arbitrio, sancte, medere tuo.